

ὀστρεαίων legisse videtur, vertit enim ex testaceis, imperite: et in epitome scribitur ὀστρεαίων.) Gesnerus *Ostracionem* hunc piscem nominandum conijcit. Bellonius vero non aspernando nomine *Holosteon* appellavit, quasi totum osseum. Forma (inquit hic) ad pentagonum accederet, pedalis interdum longitudinis. Incolae ab interaneis protinus emundari curant, deinde vero testam eam duram (testaceum corium) qua contegitur, multos annos incorruptam servant, ut inde lucrum consequantur, quod a negotiatoribus externis novitatis gratia hujusmodi piscis emi sit solitus.

Caeterum dum vivus est penicillum in *cauda* habet, et *pinnas* supra et infra caudam: ac rursus pinnam aliam utrinque; oculos albos, os parvum. Color ejus lactescit, et velut in pallidum languens. Is quem ego in musaeo jam multos annos inter rariora reservo, et hic depictum ostendo, ab eo quod supra rostrum conspicitur tuberculo (nasum appellare liceat, piscem ipsum ab eo *Nasum Niloticum*) ad extremam usque caudam vix implet duos dodrantes. Totus est *pentagonus*, totusque item ex articulis ferme pentagonis (ut icon ostendit) constat, qui coctione, imo per se temporis diuturnitate dissolvuntur. Branchiarum

scissura semicircularis: juxta quas utrinque pinna est, parva quidem si corporis magnitudini comparetur, sed perquam robusta: post podicem alia similis planae sed brevior. Uropygium totum cutaceo corio tegitur, ut quod mireris, in ostreaceum totius corporis tegumentum ita inseritur, ut a lateribus ei annecti non videatur; quin haud aliter corpori affixum est, quam navi clavus; oportuitque cutaceum esse, ut motui promptus, idoneusque foret. *Oris* rictus pro corporis ratione exiguus; in quo dentes utrimque fere octo, non absimiles dentibus murium. Utraque maxilla cutaceo etiam, non ostreaceo corio quod admodum ineptum fuisset, constat.

Habes hic *hujus generis piscem alium* aequo duro tegumento praeditum, sed qui dimidio minor est, non pentagono corpore, sed ventre triplo quam tergore, latiore, lateribus quodammodo concavis: cujus item articuli non pentagoni, sed fere rotundi, et orbiculati, et in singulis asteriscus venustissime spectabilis. Eminentia quae in medio *dorso* est, non pinna, sed plane ossea substantia gibbi specie. *Pinna* vero in ejus conspicitur extremo. Caetera superiora similia habet, praeterquam quod naso (ut vocabam) caret, et oculi sub majoribus tuberculis latent.

HISTORIAE PISCIVM

LIBER III.

DE PISCIBVS FLUVIATILIBVS.

TITVLVS I.

DE PISCIBVS FLUVIATILIBVS SQVAMMOSIS.

CAPVT I.

De Trutta Fluviatili.

Tantum de Piscibus ἀναδρόμους et κατάδρόμους. Fluviatiles sequuntur, et hi *vel mere tales, vel qui etiam in aliis dulcibus aquis vivunt, vel lacustres*. Inter *Fluviatiles* eosque squamosos primus est *Trutta*, Ambrosio *Trocta*, a trudendo Platinae, quoniam semper in adversum et impetuosum flumen nitatur, adversas undas superare. Itali

Torrentinam, quod in torrentibus et rivis montanis abundet, vocavere. An veteribus fuerit cognitus incertum. *Theodonem* Ausonii Figulus putavit; *Rondeletius*, *Gillius*, et *Bellonius Salarem* ejusdem. *Jovius Lupum varium* Columellae, Gesnerus *Athenaei Pyruntem*. Figulo obest, quod *Theodonem*, *Salarem*, et *Farionem* unum piscem faciat. *Salarem* parvum esse